



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. XXI. De irregularitate ex defectu ætatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

let *lib. 1. cap. 3.* cum enim hic durante officio, vel obligatione ad ratiocinia, sit irregularitas irretitus, liber non erit, ut possit accedere ad altare: quicquid dicit Bonacina de *Censur. d. 7. c. 2. p. 4. n. 3. V. Tertio in oblig.* inducens quemdam Textum, qui, si penetraret, id non dicit. In id, si quis nondum absolutus à ratiociniis initiatur, debent illius bona tradi creditoribus. Quod si ea non sufficiant, reliqua tenebitur Episcopus, qui illum initiavit, si id scienter fecerit, compensare. *Leg. Sayr. l. c. Vgol. de Irreg. c. 58. §. 1. n. 9.*

7. Quod si administrator, vel obligatio ad ratiocinia superveniat jam legitime ordinato, inferere irregularitatem.

Respondeo. Non inferere, quia jura semper loquuntur de eo, qui Ordinem non habet, prohibentque, ne quis ordinari possit: At nihil loquuntur de jam ordinato. Ita *Vgol. irreg. l. c. num. 8. Innoc. c. unic. de oblig. ad ratiocin. & alii.*

§. II. Quomodo cesset irregularitas.

1. Cessabit sine dubio, si dispensetur quis à potente hanc dispensationem concedere, de quo, mox. Verum alio item modo, quasi ex natura sua cessabit, si primo, officium deponatur. Secundo, si cedatur ratiocinium, vel saltem præsterit pignus, seu fidejussio, qua quis administrationis rationem se redditurum promittat, vel in causa motæ litis ratiocinii causam assumit. Tertio, si quis bonis cedat, eo modo, quo non reddatur infamis, quod certum est in Clerico confugiente ad remedium capitis de *solusio*. Odoardi, ob quod non incurritur infamia, neque mendicitas. Ita *Suar. d. 51. de cens. sect. 5. n. 26.*

§. III. Quis dispense in irregularitate ex officio, vel obligatione ad ratiocinia?

1. Non nisi Summus Pontifex, dum durat Officium, vel dicta obligatio, iis enim non durantibus, jam cessare irregularitatem, diximus modo. Episcopus non posse, certum est, quia hæc potestas nullibi ipsi concessa est.

CAPVT XX.

De Irregularitate orta ex Paupertate.

§. I.

1. Tametsi paupertas propriam irregularitatem nequaquam pariat, quia tamen hominem non solemniter in Religione professum impedit ab ordinibus, præsertim Majoribus; ideo de ea hic nonnulla sunt afferenda. Nonnulla, inquam, plura enim de ea diximus, cum de patrimonio ordinandi locuti sumus. Hic igitur notanda sunt tantummodo quatuor.

2. Primo, pauper in hac materia ille dicitur, qui congrua sustentatione caret. Quare, si quis locupletè gaudens patrimonio, ita tamen ære alieno gravatur, ut eo pro creditoribus subducto, ipsi non remaneat, quo honestè vivat, pauper est, non ad ordines admittendus. Ita *Suar. de cens. d. 51. sect. 3. num. 25. Filliuc. tr. 19. cap. 7. num. 20.* at, si condonationem à creditoribus habeat, vel commoda sustentatione servata; reliquis bonis cedat, modo non indacente, pro consuetudine regionis, infamiam, seu notabile dedecus, ad ordines admitti utique potest, ut dixi *cap. præced.*

3. Si quis, modo dicto pauper, ordinetur, peccare mortaliter diximus cum de Ordine: at si jam (esto cum peccato) iniuriatus fuit. Inquires primo, an licitè durante paupertate, Ordinem exerceat, Missam v. g. celebrando? Secundo, an incurrat celebrando, aliquam pœnam?

4. Respondeo. Ad primum, puto illicitè moraliter celebrare. Sicut enim, qui ante ætatem scienter promoveri se sinit, peccat celebrando, nondum adveniente perfectæ ætate, quia, ut alibi supra diximus, irregularitas, quæ prohibet hominem promoveri, prohibet, ne sic promotus ante dispensationem susceptam ordinem exerceat: ita in casu, de quo agimus. Neque, dicas si promotus cum patrimonio illud amittat, non prohiberi Missam celebrare; ergo, nec debere prohiberi, prædictum non habentem patrimonium: ne id dicas, inquam, nam, præterquam quod, si illicitè amittat, saltem ab Episcopo est arcendus ab altari, donec sufficienter patrimonio fulciatur; certè est manifesta disparitas, ille enim initiatus fuit, existens in paupertate, atque adeo cum impropria irregularitate, hic vero fuit initiatus cum sufficienti patrimonio, atque adeo non cum irregularitate.

5. Ad secundum, Non invenio aliam pœnam in jure communi.

§. II. Qui dispensat in Irregularitate orta ex paupertate?

1. Certum est primo, Pontificem dispensare posse, ut pauper promoveatur.

2. Certum est secundo, non posse Episcopum, propter rationem toties dictam, quia inferior Papa non potest dispensare in legibus juris communis.

3. Certum est tertio, tunc solum posse Episcopum admittere pauperem ad Sacros Ordines, quando de Beneficio, vel alimentis illi provideat. Sed hoc non est dispensare in paupertate, sed paupertatem tollere.

CAPVT XXI.

De Irregularitate orta ex defectu ætatis Remissè.

Et quisnam in illa dispense?

1. De hac latè diximus in *tr. de ord. cap. 6. ibid. c. 12. n. 16.* addidimus, eum, qui ante requisitam ætatem se initiari permittit, incidere in suspensionem, unde, si ante dictæ suspensionis dispensationem ordinibus utatur, incidere in irregularitatem, ut habuisti in superioribus cum de *irregul. ex violatione censuræ c. 14. §. 3.*

2. Remanet igitur hic, tanquam in suo loco, indicare, quo modo tollatur ejusmodi ætatis defectus.

3. Breviter, amovetur duobus modis. Primo, ipso temporis decursu; adveniente enim definita ætate, jam evolat irregularitas ex ætate procedens. Averte prædictam suspensionem contractam ab eo, qui ante ætatem se initiari permittit, & prædictam irregularitatem, quam fortè contraxit exercendo ordines cum suspensione, nunquam tolli, nisi per legitimam dispensationem, ut rectè notat *Valentia, t. 4. d. 19. p. 6. §. 2. & Sayr. de censur. l. 6. cap. 12. n. 12.*

4. Secundo, amovetur per dispensationem, non nisi à Pontifice concedendam, tum, si quis promoveri ad Ordines velit; tum, si velit in iis ministrare ante ætatem requisitam; Cum enim *ibid. n. 7.* Castropal. de *censur. disput. 6. part. 11. n. 2.* alique; Regula Generalis alia dicta sit, ut Irregularitas, quæ suspensionem Ordinum impedit, eadem impediatur usum eorumdem, debet etiam ad ministrandum ante ætatem, tibi, quamvis Ordinato, accedere dispensatio potentis eam concedere, qui unus est Pontifex, cum Episcopis nihil circa hoc concessum habeatur in Jure.